

PRÆCOGNITA
JURIS ECCLESIASTICI
UNIVERSI

OPERA

GEORGII SIGIS. LACKICS J. C.

*et in regia Tyrnaviensi universitate Juris Ecclesiastici
professoris Publici.*


EDITIO PRIMA MATRITENSIS

IN USUM ACADEMIARUM HISPANARUM.



MATRITI,
TYPIS SOCIETATIS,
PRÆLA REGENTE JOANNE JOSEPHO SIGÜENZA ET VERA,
ANNO 1822.

Se hallará en la librería de Matute, calle de Carretas.



PRÆFATIO VALENTINÆ

EDITIONI APPOSITA.

LECTORI.

Ex quo adornandæ hujus opusculi editionis provincia mihi fuit commendata, in id totis viribus incubui, lector optime, ut quemadmodum ceteris quæ hucusque prodire, chartæ nitore, et characterum elegantia Hispana hæc nostra longe antecellit, emendatione pariter exactissima nequidquam illis cederet. In quo expediendo quid præstiterim, paucis habe. In primis Auctorum loca omnia, quorum opera invisere mihi fuit copia, modo in publicis, modo in privatis bibliothecis reposita, consului diligenter, quorum ope innumeras auctoritates suis disjunctas sedibus fideliter restitui: nonnumquam iisdem Auctoris verbis religiose servatis sed alio ordine dispositis, ipsius sententiam perspicuiorem reddere



PRÆCOGNITA
JURIS ECCLESIASTICI
UNIVERSI

PROËMIUM.

ECCLESIASTICI Juris doctrina amœna illa quidem et utilis, multis etiam omnino necessaria, eadem tamen perdifficilis est et obscura interdum atque implicata adeo, ut acutissimi quoque interpretes nonnumquam adhæreant. Obscuritatis causa potior est ipsa doctrinæ ipsius vastitas, ut quæ disciplinam sacrorum universam veterem et novam ambitu suo complectatur; tum rerum insignis quædam et varietas et vetustas. Quare sapienter utique ac verissime illi judicant, qui Sacri Juris studium ab earum rerum explicatione inchoandum esse præcipiunt; quarum rerum cognitio adolescentum mentes veluti præparet, et adversus illas, quæ, his tanquam levioribus neglectis, industriis etiam atque perspicacibus viris interdum obrepere solent, sine delectu olim probatas opiniones præmuniant. Certe mihi religioni fuit, docendi hanc legem tam insigni cum utilitate conjunctam temere negligere; eaque mihi scribendi hujus libelli causa fuit: in quo id dedi operam maxime, ut naturam disciplinæ istius partesque plane intelligenterque describerem; originem istius atque progressionem evolverem; locos porro ac veluti principia aperirem, à quibus momenta juris ad rationes peti debent, eorumque usum atque auctoritatem certis definitisque regulis cir-